



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia  
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte  
Et Statv Religionis**

Qvo Qvid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1625**

XXVI. Vtrum in solemne votum castitatis religiosæ cadere possit  
dispensatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

iure, cui ipsi non possunt resistere, quia absolutum est, & non conditionatum.

17.  
Corollaria  
ex proximo  
dictis.

Vnde infero primo, si alter coniugum, qui votum simplex castitatis emisit, altero proficere, postea matrimonium contrahat, matrimonium esse validum, quia simplex votum illud non dirimit, nec matrimonium præcedens impedit, quia solum iam est; peccabit autem sic contrahens, nisi prius sui voti dispensationem obtineat. Infero secundo, si vterq; professionem emisit, & alter postea obtinuit dispensationem voti solennis castitatis, licite, & valide posse cum alio matrimonium contrahere, quia nihil est, quod impediatur, cum vtrumq; vinculum, matrimonij, & professionis, ablatum sit; prius per sequentem professionem, posterius per dispensationem. Atque eadem ratione, si vterq; post professionem emissam, dispensationem vtriusque voti per possibile, vel impossibile impetrent, non possent inter se convenire, nisi de novo matrimonium inter se contraherent: Quin potius vnusquisq; eorum possit contrahere cum alio si vellet, hæc enim omnia euidenter sequuntur ex fundamento posito, quod primum matrimonium dissolutum fuit. Nec est inconueniens, quod possit transire ad secundas nuptias, qui per suam professionem prius matrimonium rupit, interueniente legitima dispensatione, vt in superioribus dictum est. Et eadem ratione non est inconueniens, quod inter easdem personas possit duplex matrimonium ratum successiue fieri, quando interuenit alterius, vel vtriusq; ciuilibis mors, per professionem, & postea veluti resuscitatio quadam, per dispensationem, sicut interueniente naturali morte dissoluitur matrimonium etiam consummatum; si autem suscitarentur, mortui possent iterum inter se contrahere, non autem inter se copulari sine nouo contractu.

18.  
Dubium  
vtrum  
votum  
dissoluit  
matrimonium.

Octauo interrogati potest, quid ex parte religionis requiratur vt votum in ea emissum habeat huc effectum dissoluedi matrimonium ratum. Quæ interrogatio potest habere difficultatem aliqua de tempore ante Innocentium III. quando ad veram professionem religionis necessarium non erat, religionem esse specialiter approbatam per summum Pontificem, de quo tempore iudicandum est, iuxta modum probationis, quæ illo tempore sufficiebat: formaliter enim, (vt sic dicam) semper existimo fuisse necessarium talem esse religionem, vt votum, seu professio in ea emissæ redderet personam inhabilem ad matrimonium, vt ex superius dictis constat, nunc autem necessarium omnino est, religionem esse approbatam à summo Pontifice, iuxta c. vltimum, de relig. Domib. & cap. vnicum, eodem tit. in 6. quia alias votum non est solenne, iuxta caput vnicum, de voto in 6. & ideo non potest dissolueri matrimonium prius contractum; & ita significauit Ioan. XXII. in sua Extrauag. vnica de voto, ibi, *Nisi aliquam de relig. gnomis approbatis, vbi glossa id adnotauit, & consentiunt communiter Theologi, in 4. d. 27. & 38. Sylu. verb. Diuortium q. 3. vnde infert profitescentes tertium ordinem B. Francisci non liberari vinculo matrimonij rati, quia ordo ille non est approbatus in ratione status religiosi. Idem Panorm. & alij in c. ex parte, de conu. coniug. Intelligendum est autem de his, qui non viuunt in communi, & profitentur regulam iuxta declarationem Xliti IV. quæ rationem habet approbationis.*

19.

Deinde necessarium est, vt professio sit integra, & perfecta, id est, non relaxata, quoad ipsa vota; quod aduerto propter religiones militares, in quibus solum iam vouetur castitas coniugalitatis, de quibus manifestum est per earum votum non dirimi matrimonij ratum, quod Sor. extendit etiam ad Milites S. Ioannis. Oppositum tamen verius est, vt infra suo loco dicemus, & notauit Corduba in summa q. 178. quia illa professio

adhuc integra manet, quoad totam substantiam voti castitatis. Hinc vero oriebatur questio, de religiosis Societatis nōdum solenniter professis, an eorum votum dirimat præcedens matrimonij ratum. Sed de hoc infra in proprio loco dicetur: Nunc partem negantem vt probabiliorem supponimus. Alia etiam hæc questio occurreret de Eremitis, an per eorum statum, & votum dirimatur matrimonium. Id enim affirmat Palud. supra, & Antonin. 3. p. tit. 1. c. 21. §. 3. sed oppositum est verum, vt dixi supra disputando de voto simplici castitatis, & nunc est certum, quia talis status non est per sedem Apostolicam vt religio solus approbatus.

CAPIT. XXVI.

Verum in solenne votum castitatis religiose cadere possit dispensatio.

Hæc questio in duplici sensu, (vt de paupertate diximus) disputari potest; vnus est an votum castitatis solenniter per professionem religiosam, legitime dispensationem ipsius professionis dispensari possit; vel potius necessario, & quasi consecutione quadam dispensetur, & totaliter aufertur. Alter sensus est, an perseuerate vinculo professionis quoad substantiam eius, & conuenienter durante etiam voto solenni continentia, quoad alias obligationes eius, possit dispensari cum tali persona, quoad aliquum vsum castitatis. De priori sensu parua superest nobis disputatio, suppositis, quæ supra diximus de dispensatione in professione religiosa. Et ita omnes auctores ibi citati pro sententia nostra, quæ asserimus posse Pontificem dispensare in professione religiosa, faciendū de Religiosis professio non religiosum, affirmant in eodem casu, & ex eadem causa posse votum solenne castitatis omnino auferre: quin potius multi eorum expressius de voto castitatis id affirmant; alij inter illud, & professionem nihil distinguunt. Auctores etiam, qui negant hoc votum posse dispensari, in hoc maxime fundantur, quod professio ipsa dispensabilis non est, supposita autem professionis dispensatione, nullus eorum negaret castitatis votum, & obligationem cum illa conuenienter tolli posse. Ex illa ergo hypothese dici potest hæc communis omnium sententia, quæ eidem rationibus fundari potest, ac defendi, quibus circa professionem vsi sumus.

Duo autem in hoc puncto addenda hic occurrunt. Vnum est, non solum posse, sed etiam necessaria consequentia auferi votum castitatis religiose, ablato vinculo professionis, quando simpliciter sit dispensatio, nullo imposito onere, neque acceptato ab eo qui dispensatur. Probat, quia votum illud non fuit emissum, nisi vt annexum tali professioni, & statui, ergo ablato statu, & professionis vinculo, consequenter aufertur votum. Confirmatur, ac declaratur, quia ablata professione aufertur solennitas voti, tum quia tota solennitas illius voti est ratione professionis, iuxta c. vnicum, de voto in 6. tum etiam, quia ablato vinculo professionis persona iam non manet sub dominio Religionis, sed sit sui iuris ac potestatis, & consequenter manet habilis ad matrimonium; ergo ablata est solennitas voti: ergo & votum ipsum, quia ex intentione vouentis non est factum, nisi vt solenne, & quali ad confirmandam traditionem factam in tali statu. Et ideo traditio sublata ipsum etiam euanescit. Sicut quando contingit professionem fieri in aliqua religione, & ex impedimento occulto esse nullam, consequenter etiam votum castitatis nullum est, nullamque inducit obligationem voti simplicis, nisi vel aliud constet de intentione vouentis in iure, vel aliud sit in aliquo speciali casu expressum.

Secundo addo, moraliter loquendo, non posse saltem licite dispensari in professione, vel solennitate huius voti, quin in voto ipso dispicietur. Dico, moraliter

loquendo, quia ex obiecto, vel connexione rerum, non est in hoc repugnancia, q̄ dispētur cum alio in professione religiofa nō purē, sed admiscendo commutationem aliqua, videl. cōmutando illum statum in statum simplicis continentia, auferendo talē personam omnino à potestate, & dominio talis religionis, vel auferendo simul alia duo vota, paupertatis, & obedientia; vel alterū illorum, vel neutrum; pro arbitrio dispensantis, si causa iusta subesset, hac enim posita non deesset potestas in Pontifice, nam si p̄t simpliciter dispensare, multo magis poterit comutare, q̄ hoc minus est, & actus est eiusdē ordinis, nullamque inuoluit repugnancia, sic enim quando Pontifex dispensat cū Religiofo, vt ab arctiori religione trāseat ad laxiorē, quēdam dispensatio fit cum cōmutatione admixta, ita ergo possit actus religiofos cōmutari in statum Eremiticū, v.g. qui religiofus nō sit, iam enim supponimus posse Pontificē facere de Religiofo non religiofum, & per hoc solū additur q̄ loco illius status imponat nouum onus, minus quidē perfectum, sed de melioribus bonis. Vnde duobus etiam modis intelligi possit hoc fieri; primo relinquēdo talem personam inhabilem ad matrimonium, secundo relinquēdo illam cum simplici voto castitatis, & vtrumq; modum censeo esse possibilem, quantum est ex potentia agentis, & non repugnancia materis. Primum quidem, quia censeo Pontificem posse reddere inhabile ad matrimonium personam vouentē in facie Ecclesie solam castitatem, p̄sertim si à principio ea lege, & conditione illam voueat: ergo multo magis poterit per modum cōmutationis, vel dispensationis, totum hoc onus relinquere in persona, quæ p̄ voluntariam professionem, & promissionem illud iam habebat. Secundum autem facile etiam patet, quia inhabilitas hæc ad matrimonium omnino pendet ex iure Ecclesiastico, vt supra vidimus: ergo non repugnat illam omnino dispensari simul cū professione, relicta sola obligatione voti simplicis circa continentiam seruandam.

Quamuis autem hæc vera sint, potestate ipsa, & materia eius, veluti speculatiue consideratis, nihilominus practice, & moraliter assero talem dispensationis, & cōmutationis modum, vix posse habere locum ex defectu legitimæ causæ ad sic dispensandum. Suppono enim votum non posse dispensari, sine legitima causa: si quæ autem potest occurrere causa legitima, ad dispensandum in professione religiofa, faciēdo de Religiofo non religiofum, illa est, vt talis persona matrimonium contrahat, in aliquo casu ad bonum commune valde necessario, omnis enim alia ratio, vel necessitas, quæ cogitari possit absque mutatione status religiofi, per alias facultates, vel dispensationes remedium sufficiens recipere potest, vt facile cogitanti patebit, ergo repugnancia est dicere interuenire causam sufficientem ad dispensandum cum religiofo, vt religiofus non sit, cum obligatione perpetuā seruandā continentiam, nam hæc obligatio, vel destruit legitimam causam, vel impedit remedium eius.

Dices, propter illam causam possunt alie excogitari, ob quas dispensetur cum religiofo in reliquis, saluo cœlibatu, nimirum, si ad bonum animæ eius censetur moraliter necessarium, vel quia nō potest cum cōmunitate, & sub iugo obedientia, & paupertatis, sine frequenti, & graui lapsu viuere, sperat autē posse, & continenter, & sancte solitariam vitam agere. Item possit esse necessarium, vel valde vtile ad cōmune bonum alicuius regni religiofum aliquem ab statu suo abducere, non vt heredes regni generaret, sed vt bella regni gereret, aut illud gubernaret, vel alia eius negotia tractaret, quæ in religiofo statu decenter fieri non possent, possit ergo tunc in statu dispensare, salua continentia, tunc enim tale onus non

repugnaret cum legitima causa dispēaudi. Respondeo in his, & similibus casibus posse sufficiens remedium adhiberi, absq; dispensatione in statu religiofo, quoad substantiam eius, dispensando solum in vfu, vel obseruantia eius, vt in priori casu sufficeret facultas viuendi extra cōmunitatem, sub obedientia Episcopi, vel etiam solius Pontificis, & cum ampla facultate vtēdi bonis temporalibus absq; proprio dominio, eademque possit sufficere in posteriori casu, addendo, si opus esset, mutationem habitus, & similia tali muneri, vel actioni opportuna. Dico præterea tot posse excogitari circumstantias, ex parte personarum, vel regni, seu actionum, vt possit honestari talis modus dispensationis, & iustificari causa eius, & ideo non dixi hoc esse impossibile simpliciter, sed moraliter nō posse contingere, quia reuera circumstantie ille cogitari potius valēt, quam reipsa simul coniungi.

Dixi autem non posse hoc fieri *saltem licite*, quia in professione religiofa, & voto castitatis eius duo sunt, scilicet obligatio ad Deum, & religionem, quæ inde resultat, & inhabilitas ad matrimonium. Primum est de iure naturali, & diuino, & ideo, nec licite, nec valde auferri potest, sine legitima causa. Secundum autem est de iure Ecclesiastico, & ideo licet dispensari non possit sine causa legitima, tamen si dispensatio detur, valebit. Si ergo fingamus Pontificem facere dictam cōmutationem relinquendo personam quantum est ex se, cum solo voto simplici continentia, sine vlla inhabilitate absq; iusta causa; nō tenebit quidem dispensatio in illa cōmutatione inclusa quoad tollendum vinculum, & obligationem, quæ ex professione nascitur, tenebit autem quoad tollendas inhabilitates, quæ ex positio iure oriuntur, quamuis etiam quoad hanc partem illicite concedatur, & ideo posita est disunctio, quæ singulis partibus cum proportione accommodanda est.

In altero sensu dubitatio est, an possit dispensare Pontifex cū religiofo in voto castitatis, quoad vsum eius, non auferendo omnino votum castitatis, nec statum religiofum, nec vinculum professionis, ita vt religiofus professus, manens religiofus, licite, ac valde cōtrahat, & cōsummet matrimonium ex dispensatione. Quam questionem nullus ferē Doctorū attingit, fortasse, quia partem negantem tanquā manifestam supponunt. Qui n. simpliciter existimant votum solenne continentia nō esse dispensabile, manifestē hoc sentiūt etiam in hoc sensu. Qui autē hoc votum faciunt dispensabile, in hoc maxime fundantur, q̄ totus status religiofus mutabilis est, indicantes in sensu (vt ita dicam) cōposito repugnantiam inuolui, vt cum religiofo manente religiofo, in voto solenni dispensetur. Quod sentiunt communiter Canonistæ in cap. cum ad monasterium, de statu Monach. & potest fundari in illo textu, quatenus dicit Pontificem non posse dispensare cum religiofo in voto paupertatis, vel castitatis, cum enim hoc à nobis non admittatur in sensu diuiso, erit saltem intelligendum in sensu cōposito. Secundo fundari hoc potest in generali ratione voti, & status religiofi, status enim religiofus essentialiter constituitur ex voto castitatis, seu illud habet annexum, repugnat ergo manere religiofum, & sine voto castitatis. Rursum quamuis possit votum per dispensationem auferri, repugnat nihilominus, quod maneat votum, & dispensetur in obligatione eius; quia hoc est contra ius naturale; ergo de primo ad vltimum repugnātia est dispensari cum Religiofo manente religiofo in obseruatione continentia. Et in hoc est clara differentia inter religiofum, & Clericum in sacris, quam agnouit D. Thom. 2. 2. quæst. 88. artic. 11. quod clericus manens clericus facile potest dispensari, vt ducat vxorem, quia votum continentia non est essentialiter annexum clericatui, & ideo potest

6. In voto castitatis religiofo duo includuntur.

7. Quid sentiendum de hac dispensatione iuxta sententiam n. positam.

potest manere sine voto castitatis, quod non ita est in statu religioso; in hoc autem inueniatur conuenientia, quae confirmat rationem factam, quia non potest dispensari cum clerico retinente non solum clericatum, sed etiam votum castitatis, ut licite ducat uxorem; ergo similiter, &c. Tandem confirmatur exemplo D. Thom. quia non potest dispensari, ut liceat uti calice consecrato, & consecrationem retinente ad profanos usus, quia hoc repugnat ratione naturali, & inuoluit intrinsecam malitiam, ergo similiter, &c.

8.

Papa dispensare potest in voto sollemnicae castitatis, non dispensando in ipso statu, sed professione religiosa.

Nihilominus contraria sententia recte explicata vera est, quam indicauit Nauarr. in Enchiridio de oratione c. 7. num. 20. distinguens duplicem dispensationem cum Religioso, vnam per quam definit esse religiosus, aliam per quam solum datur ei facultas ducendi uxorem, per quam, inquit, solum non desineret esse religiosus, refertque seipsum ad tractandum de rebus Ecclesiasticis. quæst. 1. monitu 55. & quæst. 3. monitu 11. & suppositis principijs traditis, efficaciter persuaderi potest. Et in primis suppono existente voto simplici integræ castitatis, (& idem est de quolibet alio cum proportione) posse Pontificem dispensare in illo quoad vnum actum, non dispensando quoad alios; ut dispensando in coniugio, & vsu eius, non vero quoad alios actus, seu (quod idem est) commutando castitatem simpliciter, in castitatem conjugalem; imo etiam posset non permittere per talem dispensationem omne coniugium, sed solum quoad primum matrimonium, ita ut ex vi eiusdem voti, non posset transire ad secundas nuptias mortua coniuge, & simili alio modo limitare potest dispensationem, seu commutationem, pro ratione causæ, & iuxta arbitrium suum. Est enim votum illud quoad extensionem obiecti, quasi diuisibile, & ideo potest non in totum, sed pro maiori, vel minori parte auferri pro arbitrio dispensantis, iuxta exigentiam causæ. Et hoc modo non repugnat manente voto simplici castitatis, dispensari in aliquo vsu eius, quamquam in rigore maneat omnino idem, seu æque integrum ac antea erat. Ita ergo in præsentem dicimus de voto solenni, non posse quidem dispensari, in vsu eius, quoad contrahendum matrimonium, quin aliquo modo mutetur, seu minuatur integritas illius voti, & status religiosi, vel perpetuo, vel pro aliquo tempore, nihilominus tamen posse dispensari in huiusmodi vsu, non auferendo totaliter, vel substantialiter (ut sic dicam) vinculum, seu statum religiosum, & votum continentia illius.

9.

Quod in primis supra deo exemplo religionum militarium, quæ prius integram castitatem profitebantur, & postea cum eis dispensatum est, ut retento religionis statu, ad solum castitatem conjugalem obligentur. Dicit fortasse aliquis, non esse dispensatum cum his, qui prius solenniter professi fuerant, sed pro his tantum, qui post illam mutationem in illo instituto factam profiterentur. Responderetur, esto de facto ita fuerit, quantum ex Bullis Pauli III. & Greg. XIII. intelligi potest, nihilominus id non fuit ex defectu potestatis, sed quia ratio dispensandi tunc fortasse non plus postulabat. Si enim potuisset Pontifex denovo admittere aliquos ad statum religiosum, cum voto solius castitatis conjugalis, cur non potuisset dispensare cum huiusmodi professis, ut à primo statu illius religionis transirent ad secundum, vel si non erat causa sufficiens ad dispensandum cum omnibus, poterat esse in aliquibus, quod nobis satis est, sicut dispensat cum aliquo, ut à religione archiori transleat ad laxiorem; quod enim relaxatio tanta fuerit, ut etiam ad matrimonium contrahendum licentia data sit, non obstat potestati, si sufficiens causa sub sit, quia totum illud cõtinetur intra latitudinem illius status religiosi, & inhabilitas matrimonij, in qua dispensa-

tur, res est de iure humano. Vnde etiam Soto inter auctores contrariæ sententiæ fatetur posse Pontificem dispensare cum milite S. Ioannis, ut ducat uxorem; quod ego intelligo facilius fieri posse relicto voto castitatis conjugalis, & statu religioso illius professionis, quoad reliquas obligationes, ad eum modum, quo nunc est in militibus aliarum religionum. Diceret autem fortasse Soto illum statum, qui manet facta illa mutatione, non esse verè religiosum. Sed de hoc infra disputandum à nobis est, ubi ostendemus oppositum esse absolute verum: deinde nunc addimus argumentum à simili, vel à fortiori semper manere æque efficax tum quoad hoc, ut possit Pontifex commutare votum castitatis inhabilitans ad matrimonium in aliud non habens annexam illam inhabilitatem, & votum castitatis simpliciter in votum castitatis conjugalis, tum etiam, quia quantum ad hoc ut possit dispensare in voto castitatis hoc modo retento statu religioso, saltem secundum quid; nam inde plane sequitur posse etiam fieri cum quacunque minima diminutione illius status, que cum actu matrimonij esse poterit, hæc autem tam parua esse potest, ut non tollat statum religiosum simpliciter, quamuis suspendat, ut ita dicam, vsu eius, ut ex sequenti discursu patebit.

Secundo argumentor in hunc modum; quia status religionis simpliciter, & vinculum matrimonij simpliciter possunt simul esse in eadem persona; ergo potest per dispensationem summi Pontificis fieri, ut manente in eadem persona statu religionis simpliciter liceat illi matrimonium contrahere, & consummare. Antecedens patet de facto in coniugatis, qui post matrimonium consummatum mutuo consensu religionem simpliciter profitentur; verè enim simpliciter, ac perfecte religiosi manent, quamuis matrimonij vinculum integrum etiã inter eos perseveret. Consequenter autem probatur primo ex his, quæ de huiusmodi coniugato professore iura statunt: nam licet regulariter talis religiosus non possit licite redire ad actum conjugalem, nihilominus in aliquo casu cogitur redire ad petitionem alterius coniugis, ut supra vidimus iuxta c. ex parte, & cap. consuluit, iuncto cap. 1. de conuersione coniugatorum. Tunc autem non amittit talis persona statum religionis simpliciter, sed impeditur ad tempus ab aliquo vsu illius status. Sicut seruus sine licentia domini professionem faciens, religiosus manet, licet ratione seruitutis impeditus maneat, ne religioni libere inferuire debeat, sed domino. Cuius etiam signum est, quia talis persona quantum est ex se tenetur castitatem seruare, & si coniux moriatur, nec valide, nec licite poterit nouum matrimonium contrahere. Ergo ad eundem modum posset summus Pontifex interueniente vera causa & necessitate dispensandi, cum persona religiosa, ut transleat ad nuptias, id facere, cū hac limitatione, ut quoad omnia alia retineat statum religiosum simul cum vinculo matrimonij, quo durante excusetur etiam ab actuali vsu status religiosi, quoad ea tantum, quæ cum vsu matrimonij repugnant. Probatur consequentia, quia in compositione, seu coniunctione horum duorum statuum dicto modo, non est repugnantia ex parte ipsorum, ut declaratum est, nec repugnantia ex parte dispensantis, propter defectum potestatis, tum quia hæc potestas pro capacitate materis, extenditur ad omnia, quæ alias non repugnant, nec irrationabilia sunt: tum etiam, quia plus est omnino auferre statum religiosum, quam cum illa limitatione eius vsu suspendere. Vnde etiam ex defectu causæ, non potest esse repugnantia, imo minor videtur sufficere ad hoc dispensationis genus; quia occurrenti, v. g. communi necessitati, sufficienter subueniunt per illum modum licentiæ, ac dispensationis; solum enim

enim supponitur esse necessarium, ut illa persona vacet generationi alicuius filij, qui possit esse hæres regni, v. g. quod illo modo satisfieri potest. Aliunde vero quoad alia potest status religiosus simul servari, partim actu, partim obligatione, & animi præparatione: nam potest actu fieri uari castitas coniugalis, item potest talis persona nunquam petere debitum, sed tantum reddere, vel saltem ex voto specialiter teneri ad nunquam petendum, nec consummandum matrimonium, nisi propter generandam prolem; item potest manere obligata ad alias obseruantias regulares, quæ cum usu matrimonij directe non repugnant. Denique potest manere prohibita, vel etiam inhabilis ad contrahendum aliud matrimonium defuncto coniuge, si ex illo prolem haberet, per quam subuentum esset necessitati, in qua fundatur dispensatio; nihil ergo est cur repugnet ita fieri dispensationem; imo si non ita sit, quando similis necessitas occurrit, potius est, ut benignior, & maior fiat dispensatio, & ut scrupuli, ac onera tollantur.

Terio declaratur illo exemplo calicis consecrati, ipsam retorquendo. Nam licet iure ordinario non possit vas consecratum ad profanos, & communes usus destinari; in aliquo tamen casu, & vigente graui necessitate, potest dispensari, ut liceat uti huiusmodi vale ad aliquem communem, & ordinariũ usum, non malum, sed bonum, & naturæ necessarium, ut si non esset aliud remedium ad bibendum, & extinguendam sitim, vel quidpiam simile; ad eum modum, quo Dauid vigente necessitate panes propositionis accepit 1. Regum 21. cuius factum Christus defendit Matth. 12. ut ibi Hieron. Chrysostom. & alij notant. Ergo similiter quamuis persona sit consecrata per professionem, propter grauem Reipublicæ necessitatem poterit ei licite concedi usus matrimonij, retenta etiam consecratione; quia ille usus licet communis dici possit, quatenus non est ex melioribus bonis, non tamen est malus, & interdum esse potest communitati necessarius. Dices hoc argumẽto probaretur sine dispensatione posse hoc fieri; ita enim fieri posset illud de calice, in vigente extrema necessitate. Respondetur in rigore ita sentire eos qui dicunt, magis esse hoc licitum per interpretationem, quam per dispensationem; esset que fortasse id verisimile, si necessitas esset euidentissima, & adeo viciens, ut non possit summus Pontifex, vel alius gens vicem eius, conueniri; tamen quia hæc duo moraliter non possunt contingere, ideo satis inde concluditur hoc fieri posse saltem per modum dispensationis.

Tandem declaratur, nam si fingamus vtrumque coniugem post generatum filium regni hæredem, ex mutuo consensu religionem profitemi, postea vero mortuo filio, vel filijs regnum in prædictam grauem necessitatem redigi, cur non poterit Pontifex eis facultatem facere, ut iterum inter se conueniant ad filium aliquem procreandum? (suppono enim adhuc esse, & ætate, & virtutibus habiles;) nulla certe probabilis ratio afferri potest, cur hoc suppleret Pontificis potestatem, cum inter rationem temperantiam, & iustitiam ille actus licitus, ac legitimus esse possit, ratione vinculi matrimonij, quod inter illas personas permanet, intra rationem autem religionis possit etiam actus ille honestari remittendo ex parte Dei obligationem voti castitatis, quod ex legitima causa facere potest Christi Vicarius, & supremus in terris dispensator; nam quod illud votum sit pactum in religione, non mutat specificè obligationem eius, neque addit nouum aliquod ius diuinum, vel naturale, ratione cuius illa dispensatio repugnet, ut sæpius est in superioribus ostentatum; ergo in eo casu poterit ea dispensatio concedi solum quoad vnum, vel alium actum suffi-

cientem ad remedium occurrentis necessitatis, integro manente statu religioso vtriusque; persona quoad reliquas omnes obligationes; ita ut impleto tempore, seu actu dispensationis, separari, & ad obseruantiam prioris status redire teneantur.

Ex quibus tandem concludimus, tribus modis posse intelligi hanc fieri dispensationem, non omnino ablato religionis statu. Primo dispensando in solo usu matrimonij, eo quod vinculum iam supponatur, ut in casu proxime præcedenti. Secundo dispensando simul in vinculo, & usu, id est, ut matrimonium denuo contrahi, & consummari possit, sub ea conditione, ut eo non obstante persona in reliquis maneat obligata ad castitatem, & inhabilis ad quodlibet aliud matrimonium, in quocumque euentu. Denique ligata vinculo religionis: neque enim existimari potest in eo casu solum relinqui simplex votum castitatis coniugalis, cum simplici etiam obligatione, redeundi ad statum religiosum, si matrimonium illud per mortem alterius coniugis dissoluatur, nam reuera longe maius est vinculum, quod relinquitur, tum quia per illa vota simplicia non fit persona inhabilis ad aliud matrimonium dissoluto primo; tum etiam (quod caput est) quia illa persona mortuo illo coniuge non indiget noua professione, ut esset verè religiosa, neque esset necessaria noua traditio, ut monasterium ius haberet in talem personam; quia prius ius integrum semper mansit, nam per dispensationem non fuit ablatum, sed impeditum, seu suspensum, quoad vnum, durante alio statu; sicut seruus, qui professus fuit religionem inuito domino, licet durante seruitute excusetur ab usu, seu actuali obedientia religiosi status, quacumque ratione postea recipiat libertatem à seruitute, manet sub iugo religionis absque noua professione.

Tertio modo posset intelligi hæc dispensatio solum quoad contrahendum licite & valide matrimonium, sine licentia consummandi illud, quæ dispensatio ex parte causæ, & materiæ videri potest facilior: ratione autem periculi, & aliorum effectuum moralium habet specialem difficultatem, & ideo nunquam fit, nec forte expedit fieri. Declaro singula, proposito casu, in quo aliquis, qui deflorauit virginem, & ex ea filium naturalem genuit, postea religionem professus est. Potest enim in eo casu grauis causa, vel necessitas occurri, ut filius ille per subsequens matrimonium legitimus fiat; vel ut possit succedere in iure regni, v. g. vel alterius hereditatis, vel ob aliam similem causam. Posset ergo in eo casu habilitari persona, & dari facultas ad contrahendam matrimonium, solum ad prædictum effectum; quia id satis esset ad subueniendum illi necessitati, & non repugnat matrimonium valide, & licite contrahi, sine animo consummandi illud: qua ratione diximus in superioribus posse aliquando licite contrahi dicta intentione non obstante simplici voto continentie, aut religionis. Argumento cap. commissum, de sponsalibus, ergo nihil est quod huic modo dispensationis repugnet. Aliunde vero actus ille contrahendi matrimonium sine animo consummandi, nihil derogat castitati, parumque, aut nihil impedit, etiam vnum, & executionem religionis status: ergo ex hac parte talis dispensatio longe facilior est. Vnde etiam fit, ut ex minori causa concedi valeat, non solum propter bonum vnius regni, sed etiam propter conseruandam illustrem aliquam domum, seu hereditatem, & propter reparandam aliquo modo famam & honorem alicuius illustris femine. Igitur per se loquendo, talis dispensatio non solum speculatiue possibilis, sed etiam moraliter facilis est; semper enim suppono inhabilitatem ad matrimonium annexam statui religioso esse de iure humano.

13.  
Tribus modis  
du hæc dispensatio  
fieri potest.

14.

Nihil.

35.

Nihilominus tamen dispensatio cum tali limitatione concessa videri potest constituitur hominem in graui periculo peccandi contra votum, & statum religiosum, quia difficile est post contractum matrimonium sese continere. Verum hæc occasio accidentaria est, & extrinseca, & accepta potius quam data, & varijs medijs facile euitari potest, & ideo ex hac parte, non fieret admodum difficilis talis dispensatio. Aliunde etiam videtur ortiri quædam perplexitas, ex tali dispensatione, si enim matrimonium illud non est consummatum, aut vinculum illud perpetuo mansurum est, vel iterum est dissolendum. Primum est contra ius alterius coniugis, qui liber relinqui debet, si alter non vult consummare matrimonium, sed religionem profiteri, aut (quod perinde est) in ea permanere: secundum autem inuoluit quandam repugnantiam in ipso facto. Per quid enim tale matrimonium solueretur? nisi per professionem; at hæc iam præcessit, & non potuit impedire valorem matrimonij ne fieret, ergo multo minus poterit dissoluere iam factum. Quod si necessaria dicitur noua dispensatio Pontificis, præter communem dubitationem, an hæc sit possibilis, videtur speciale indecentiam inuolucere, dare dispensationem ad contrahendum matrimonium, sub formali, aut virtuali intentione, aut spe iterum dispensandi in tali vinculo, dissolueno illud.

36.

Propter hanc ergo rationem dixi, hunc modum dispensationis forte non expedire ne fieret. Nihilominus varijs modis potest hæc difficultas vel superari, vel leniri. Primo, si illa limitatio non consummandi matrimonium, non esset absoluta, sed solum quantum est ex parte eius cum quo dispensatur, seu (quod perinde est) altero non repugnante, seu non exigente debitum. Secundo si ad talem dispensationem concurreret consensus alterius coniugis, promittentis etiam Deo perpetuam continentiam, quod probabile est non repugnare valori matrimonij rati, & nunc optimo iure potest illud vinculum perpetuum manere sine consummatione. Tertio potest etiam dispensatio ita concedi, vt si alter coniux noleret perpetuam castitatem seruare, matrimonium solueretur, non tam per nouam dispensationem, quam per cessationem prioris, recuperante (vt sic dicam) professione vim dissolueno matrimonium, qua fuerat quodammodo priuata per priorem dispensatio-

nem, nam hæc vis non tantum in professione in fieri, sed etiam in facto esse intelligenda est, vt ita res explicetur, per dispensationem autem impedita fuit professio, ne matrimonio contrahendo obstatet, quod fieri potuit ea mente, vt vinculum perpetuum maneret vtroque coniuge volente perpetuam castitatem seruare: dissentiente autem altero intra certum tempus aliquod per iteratam professionem, aut per eiusdem status perseuerantiam matrimonium solueretur. His ergo modis sine repugnantia intelligi potest dispensatio in contractu, vel vsu matrimonij in persona religiosa.

Rationes dubitandi in principio propositæ ex dictis solutæ sunt, solum enim probat hanc dispensationem non fieri sine aliqua diminutione status religiosi, vel suspensione vinculi quoad vsum, & executionem eius, non tamen probant necessarium esse, vt omnino religionis vinculum tollatur. Ad cap. autem cum ad monasterium, semel atque iterum in superioribus responsum est, Pontificem ibi non loqui vniuersaliter de omni statu religioso, sed specialiter de professione iuxta regulam monachalem, & præterea loqui de tali voto secundum se, & secundum vim suam integram spectato. Ex quo non inferi Pontifex se non posse dispensare in tali voto, sed non posse licentiam dare agenti contra illud, quia nimirum, nec voto integro manente, potest dare licentiam aliquid agendi contra illud, nec sine iusta causa potest ipsum votum minuere, aut eius obligationem ex parte auferre. Ex qua optione inferi Pontifex, Abbatem nullo modo posse in his votis quidpiam immutare, nec sine causa, nec cum illa. Quomodo intellexit textum illum Innocentius ibi, & Abbas numer. 23. cum alijs quos referunt & sequuntur Coarrua. de Testamentis capite 2. num. 9. & sequentibus, & Michael Medina lib. 5. de factorum nominum continentia, capite 32. & 53. Non omitam aduertere nomine Pontificis, in illo textu interpretari non summum Pontificem, sed Episcopum ordinarium, quia sæpe in antiquis decretis, Episcopi & absolute Pontifices, & aliquando summi Pontifices appellari solebant: quam expositionem, sicut non improbamus, ita nec necessarium iudicamus.

):(

